



Fⁱldericus filius fuit Alberti Thuringiæ Landgrauij & Margarethæ Friderici secundi Imperatoris filiæ. Erat autē Albertus ille patri suo Heinrico principi clarissimo dissimilimus. Itaq^{ue} cum ex uxore sua castissima duos filios Fridericū & Dietmannum procreasset, turpilibidini operam dare, atque scorta amare incipiebat. id ut commodius perageret uxor suæ uitæ insidiatus est. Cum autem Margaretha uxor ea perceperisset, insaniam mariti detestata, consilio amicorū habito noctu clām ex arce Isenacensi discedere, atque uirginum chorō sese coniungere statuit, donec maritus ad meliorē frugem rediisset. Antequam autem discederet utrumque filiolum complexa, multis lachrīmis ualedicendo osculabatur, atque cum consiliarij abitu m^{er}gerent, Friderico genas dentibus arripiuit, atque mordendo modicum læsit, ut ea cicatrice matris suæ miserię perpetuo ad moneretur. postea per funem ē mœnibus arcis demissa Franckofordium deducta fuit, ubi etiam cum sacrīs uirginibus precibus incumbens post aliquot annos in Domīno obdormiuit. Interea Dietmannus Misnensis Marchio multis uirtutibus ornatus princeps, fratris sui Alberti malitiam pertaesus, suos ex fratre nepotes Fridericum & Dietmannum ad se recepit, atque magna pietate educauit, ne & ipsi periclitarentur. Cum Fridericus adoleuisset, Dietmannus patruus eum secum in militiam duxit, atque arma tractare & hosti occurere docuit. In eo bello Fridericus prima Tyrocinia depositus, atque uirtutis suæ iudicia exhibuit. Itaque Dietmannus patruus, cum liberis careret, suos nepotes (fratre & eius spurijs exclusis) hæredes instituit, atq^{ue} testamento facto successores in Marchionatu reliquit.